



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Ven. Viri Thomæ Malleoli A Kempis, Canonici Regvlaris
Ordinis D. Avgvstini. Opera Omnia**

Thomas <von Kempen>

Dvaci, 1625

De incendio lectuli eius, quod ipsa vna manu absque lasione extinxit. XVII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45790](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45790)

CAPVT XVII.

De incendio lectuli eius, quod ipsa una manu absque læsione extinxit.

1. **Q**uadam vice frater huius virginis, qui post patrem eius vigilias noctis etiam obseruabat, candelam ardentem secus caput lectuli eius, in altiori loco anguli posuit, & foras abiit. Quæ decidens in stramina, magnam partem lectuli combussit, ipsa verò operata facie deuotioni solitæ vacabat.

2. Tandem ad se reuersa, apertis oculis videns se in medio incendiij positam, & neminem adesse qui extingueret, sinistra manu omnem ignem absque læsione manus Deo iuuante extinxit: mirantibus cunctis, qui manè ingressi ad eam, videbant quæ facta fuerant in vstione lectuli, virgine illeſa manente. Non tamen ipsa tunc temporis lecto utebatur, sed filij fratris sui obsequio eius dediti: nam ipsa in straminibus ægra iacebat.

CAPVT XVIII.

De cineribus, in capite ieiunij ab Angelo sibi ministratis.

1. **S**olebat virgo deuotissima, more aliorum Christi fidelium, feria quarta in capite ieiunij benedictos cineres humili reuerentia de manu confessoris sui suscipere: quos ille ab ecclesia tollens, ad signandum eam secum deferabat. Quodam igitur quadragesimali tempore, instante feria quarta die cinerum, confessor eius ingressus ad eam, interrogauit, an vellet secum ab ecclesia cineres deportare.

2. Respondit virgo dicens: Potest bonum esse, quod ita faciat: veruntamen Dominus mihi prouidit de cineribus. Angelus enim Domini paulo ante apud eam fuerat, & cineribus frontem eius signauerat. Sed vt confessor eius de his certificaretur, illa apprehensa manu eius, posuit eam super cineres, vt eos tangeret, & ille manifestè sensit sic esse. Insuper vt tantæ gratiæ particeps fieret, frontem suam fronti eius ipsa iubente, permissinè applicauit. Docebat quoque eam Angelus Domini, quod suscipientes sacros cineres, cum lumine & cruce eos susciperent; scilicet, ardentem cereum cum cruce in denario ad altare ferendo; in signum, quod semetipsos cum lumine fidei, per veram subiectionem & mortificationem, Deo offerrent.

CAPVT